

## TITULUS XXXVII.

DE POENIS. <sup>a</sup>

200. *Nota I.* Pœnam in genere definiri: quòd sit *justa delicti puni- tio*. Quæ definitio applicatur pœnæ civili, medicinali et vindicativæ, quia omnes hæ pœnæ suo modo coercent, et puniunt delictum; et ideo pœna à puniendo dicta est.

*Nota II.* Pœnam dividi:—1.º In *privatam* seu conventionalem, quæ ex privata partium conventionione imponitur, et plerùmque non obligat ante sententiam judicis, nisi aliter convenerit, et de hac in præsentì non agitur; et *publicam*, quæ ex publica potestate et jurisdictione infligitur.—2.º Publica subdividitur in *medicinalem*, quæ fertur ad contumacis correctionem, uti sunt censuræ; *civilem*, quæ fertur ad satisfactionem privatam parti applicandam; et *vindicativam*, quæ fertur ad vindictam publicam, sive pœnæ istæ latæ sint ab ipso jure, sive ex arbitrio judicis.—3.º In *ordinariam*, quæ à lege aut consuetudine constituta est; et *extraordinariam* seu arbitrariam, quæ ex arbitrio judicis pro qualitate delicti et personarum imponitur.—4.º In *personalem*, quæ soli personæ; *realem*, quæ rebus in odium personæ; et *mixtam*, quæ personæ et rebus imponitur. Sic depositio ab officio est personalis, privatio beneficii est realis, et utraque simul est pœna mixta.—5.º In *positivam*, cujus executio petit actionem sive rei, sive alterius in reum exercendam, ut flagellatio, occisio etc.; et *negativam* seu *privativam*, cujus executio est aliqua privatio, sive juris quæsiti: ut privatio beneficii, sive juris quærendi, ut inhabilitas ad beneficium obtinendum.—6.º *Vindicativa* subdividitur in *capitalem*, quæ damnato infert mortem, vel naturalem, uti occisio, vel civilem, uti servitus, deportatio et damnatio ad metalla, quibus exæquatur bannus imperialis et perpetuum exilium; et *non capitalem*, quæ citra mortem naturalem aut civilem infligitur in corpore, statu aut bonis rei: uti sunt pœnæ temporales, fustigatio, incarcerationio, pecuniaria fisco applicanda, infamia etc.; et spirituales, privatio beneficii, depositio, irregularitas, degradatio.

Agetur hic:—I. De pœnis in genere potissimùm vindicativis.—

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Sexto, Clementin. Extravag. Joan. XXII. et Communib. *h. t.*—In Decreto dist. 81. per plura capita, et 23. *q. 4. 5.* et sparsim in 16. *q. 1. et 6.*—In Trid. sess. 13. *c. 4. de refor.* et sess. 25. *c. 6. 14.*—In Pandectis *l. 48. tit. 19. cum seq.*—In Codice. *lib. 9. tit. 47. cum seq.*

II. De pœnis spiritualibus Ecclesiæ.—III. De pœnis temporalibus fori canonici et secularis.

## §. I.

## De Pœnis in genere.

201. *Q. I. Quo jure, et ob quam causam introductæ sint pœnæ?*

*R. 1.º* Pœna in thesi originem suam habent à jure naturali: et quidem ob causam delicti. Nam jus naturale in genere dictat, malefactores esse puniendos; et ideo justitia vindicativa per se tendit ad vindictam malorum, cum alioquin felicitas reipublicæ consistere non posset, si omnia crimina manerent impunita.

2.º Pœnæ determinatæ in specie descendunt ex jure positivo, vel divino, sicut in veteri testamento; vel humano, sicut antea apud gentes omnes benè moratas, et nunc in Lege Christi à principibus tam Ecclesiasticis, quàm politicis: ita com. Nam jus naturale non determinat istas pœnas; benè verò principis suprema potestate præditi, ut patet ex integris ordinationibus criminalibus; ergò. Unde principes, cum jure suo sint Superiores, pœnas istas pro varietate temporum mitigare, exasperare, et in eis dispensare possunt.—Nec audiendi sunt Carpov., Vitriar. et alii acatholici, qui negant, principem posse dispensare et mitigare pœnam in his delictis, quibus Deus in vet. leg. statuit pœnam capitalem, uti homicidio (*Gen. 9. v. 6. Levit. 24. v. 17. etc.*); nam præcepta ista, utpotè judicialia, abrogata sunt per mortem Christi (*c. 3. de Constit.*)

202 *Q. II. An judex inferior teneatur infligere pœnam legibus statutam?*

*R. 1.º* Regulariter affirmativè; nam judex legibus subjectus est, nec licet ei *de ipsis judicare, sed secundùm ipsas* (*Can. 3. d. 4.*); tum quia *facti quæstio in arbitrio judicantis est; pœnæ verò persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur* (*l. 1. §. 4. ff. ad Sc. Turpill.*); ergò. Unde judex inferior pœnas contra legem molliens gravi infamia notatur (*l. 8. §. fin. pr. ad L. Jul. de vi priv.*) Excipe, nisi talis judex *jus aggratiandi* à principe concessum habeat, sicut principes Imperii: tunc enim pœnam remittere vel mitigare potest.

2.º Judex inferior ex arbitrio puniens, pro qualitate delicti, deliberationis actus, attentata circumstantia loci, temporis, personæ, damni illati, potest determinare pœnam, graviorem vel mitiorem, specificè legibus non determinatam. Nam talis pœna est extraordinaria, pendens ex arbitrio judicis; imò si consuetudo permittat, potest pro ratione circumstantiarum aggravantium vel alleviantium delictum, pœnam

exasperare vel mitigare, cùm legislator omnes istas circumstantias prævidere non potuerit.

203. Q. III. *Quod sit subjectum pœnæ?*

R. 1.<sup>o</sup> Homo delinquens et regulariter vivus; nam bruta, sicut incapacia sunt culpæ, ita et pœnæ; licet quandoque in detestationem sceleris, et confusionem dominorum unâ cum reo flammis exurantur, ne occursu suo memoriam infandi sceleris excitent. Mortui verò sublatis sunt à potestate humana, et mors omnia crimina extinguit (*Can. 4. d. 23. l. 6. ff. de publ. judic.*)—Excipe quosdam casus, in quibus pœna in mortuorum bona et cadavera exercetur: I. Si commissum est crimen, cui annexa est confiscatio bonorum, ut perduellionis, repetundarum, hæresis (*l. fin. C. ad L. Jul. Maj.*) II. Si delinquenti in pœnam negatur sepultura Ecclesiastica, ut hæreticis, notoriis peccatoribus, ut dixi *tit. de sepult.* Porrò delinquens toties puniendus est, quoties delictum iterat; quia *ea, quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti sententia condemnari debent (c. 1. h. t.)* Si tamen in continenti idem crimen iteretur, ut adulterium, una pœna graviore plectitur: si verò in eodem actu plura delicta committantur, ut rapina, injuria, blasphemia, homicidium, reus pœnis omnium subjacet (*l. 2. ff. de privat. delict.*)

2.<sup>o</sup> Innocens ex causa potest subesse pœnæ, quatenus id exigit delictum nocentis, ex *reg. 23. in 6.* Sic ob crimen perduellionis filii patris perduellis privantur omnibus bonis paternis, fiuntque infames (*l. 5. C. ad L. Jul. Maj.*); et liberi patris, qui Episcopum occidit, usque ad quartum gradum arcentur à beneficiis (*c. 10. 11. h. t.*)

3.<sup>o</sup> Si tota communitas deliquit, rigor pœnæ in primores sceleris exercendus, ceteri mitius, et in bonis fortunæ puniendi. Si verò major pars deliquit, tota communitas nocentium et innocentium puniri potest: et quidem auctores et capita sceleris in vita, ceteri in fortunis (*Deuteron. 13. v. 12. et seqq. Can. 5. ordinationes 9. q. 1.*) Si tandem aliqui solùm ex communitate deliquerunt, hi soli plectendi erunt (*l. 7. §. fin. ff. de jurisd.*)

204. Q. IV. *Quomodo, et quando reus obligetur ad pœnam subeundam?*

R. 1.<sup>o</sup> Pœna ferendæ sententiæ non incurritur ante sententiam judicis; nam lex vult talem pœnam mediante ministerio et condemnatione judicis infligi.

2.<sup>o</sup> Pœna medicinalis, ipso jure et facto incursa, stringit in conscientia ante ullam sententiam judicis: ita com. ex *Can. 29. si quis suadente 17. q. 4. et fere toto tit. de sent. excom.* Nam censuræ, quæ sunt pœnæ medicinales, ordinantur ad correctionem et salutem animæ, non excedunt gravitatem delicti, neque improporcionatæ sunt humanæ fragilitati; ergò si ipso jure et facto incurrantur, obligant ante sententiam judicis.

3.<sup>o</sup> Pœna positiva et privativa juris plenè quæsiti, etiamsi ipso jure et facto incursa sit, non stringit ante sententiam judicis, saltèm cri-

minis declaratoriam: ita com. ex toto ferè *tit. de pœnis*, hic et in jure civ., ubi ad executionem pœnarum requiritur judicis auctoritas. Ratio I, quia conditioni humanæ adversum et inhumanum est, ut quis se ipsum offerat ad pœnam positivam, v. g. ad mortem, ad fustigationem, deportationem, incarcerationem; ergò.—Secunda pars habetur *cap. 19. de hæret. in 6.*, ubi ad confiscationem seu privationem bonorum, quæ ipso jure ob hæresim incurritur, præviè requiritur sententia criminis declaratoria. Ratio est, quia inclinationi et fragilitati humanæ nimis durum et contrarium esset, ut quis ob crimen pœnam privativam in se exercent, v. g. privando se episcopatu, parochia vel alio officio, aut jure plenè quæsito in bonis et aliis rebus; ergò cùm jura debeant esse conformia fragilitati humanæ, etsi pœnam ipso facto incurrendam statuunt, tamen non obligant ante sententiam declaratoriam criminis.

Dices.—I. Ex his sequitur, nullam esse differentiam inter pœnam ipso jure, et per sententiam judicis incurram.—II. In jure pontificio sæpè adduntur istæ clausulæ: *ante ullam sententiam, absque alia declaratione, nulla monitione prævia*; ergò tunc pœna privativa stringit ante ullam sententiam, etiam criminis declaratoriam.

R. *Ad I. N. S.* Nam sententia declaratoria criminis, privat sola possessione, et declarat jus, titulum et dominium tempore delicti amissum fuisse; atque ita sententia ista retrotrahitur ad tempus commissi delicti, ad quod etiam refertur pœna: econtrâ sententia condemnatoria privat non tantum possessione, sed etiam titulo, jure et dominio, neque retrotrahitur, sed obligare ad pœnam incipit ab eo tempore, quo prolata est. Unde, si, v. g. parochus commissit delictum calendis Januarii, ipso jure privans beneficio et sententia criminis declaratoria fertur primo calendis Decembris, tenetur omnes fructus tempore intermedio perceptos cum parochia restituere, cùm sine titulo eos percepit: si verò delictum ipso jure non privet beneficio, non tenetur fructus restituere, nisi perceptos post sententiam condemnatoriam.—*Ad II.* Prior clausula intelligitur: *ante ullam sententiam condemnatoriam*, ubi non excluditur criminis declaratoria. Altera clausula, quæ vix unquam ponitur in pœnis propriè dictis, privantibus jure plenè quæsito, vel intelligitur de pœnæ declaratione, vel in delictis notoriis, quæ nulla declaratione indigent: quo casu saltèm præcepto judicis opus est, ut reus bonis et juribus quæsitis spoliatur.

4.<sup>o</sup> Pœna privativa impropriè dicta, quæ est negatio favoris sub conditione concessi, ipso jure incursa obligat ante ullam sententiam judicis: ita com. Nam lex statuens talem pœnam, est conditionata, si alter conditionem impleat: neque tali casu est jus plenè et absolutè quæsitum, sed inchoativè et conditionatè, *si conditio posita fuerit*; ergò si conditio deficiat, jure naturali deficit favor sub ea concessus, et consequenter privatio hujus favoris, et juris jure naturali, et in conscientia incurritur. Hinc etiam in jure pontificio frequenter adduntur istæ clausulæ: *nec possessio ei suffragetur, sub periculo animæ teneatur*

*ad restitutionem etc.*: sic enim Episcopus intra semestre negligens consecrationem, amittit Episcopatum (Trid. S. 23. c. 4. *de reform.*); beneficiatus, etiam curatus, non persolvens horas canonicas, fructus non facit suos ex motu proprio S. Pii V. *Ex proximo* 12 Kal. Octob. 1571: parochus intra annum non suscipiens sacerdotium, privatur jure parochiæ (c. 14. *de elect. in 6. etc.*), quorum omnium eadem est ratio; quia jura et favores isti non conceduntur ab Ecclesia, nisi sub his conditionibus à jure præfixis.

5.º Reus post justam sententiam judicis, obligatur in conscientia ad sustinendam penam; nam de jure naturali subditus parere tenetur justo præcepto Superioris. Unde:—I. Tenetur solvere pœnam pecuniariam, si tamen exigatur, alioquin præsumitur condonari.—II. Tenetur manere in carcere aut exilio, nec inde aufugere potest: et si condemnatus est ultimo supplicio, tenetur, v. g. scalas, aut rogum conscendere etc.—III. Ipse tamen reus non tenetur, imò nec licitè potest pœnam mortis in se exequi, vel aliam nimis duram, v. g. ut gladio se perimat, venenum sumat, manum sibi amputet, à cibo clam absteineat, ut fame pereat etc.; nam hoc valdè inhumanum est. Item si carcer est valdè squalidus et terræ exilii insalubris, licitè fugit ex carcere aut exilio: quia non tenetur esse minister pœnæ ad eò molestæ: imò judex Ecclesiasticus clericum aut religiosum mancipans carceri valdè squalido, non evitat excommunicationem canonis.

## §. II.

### De pœnis spiritualibus Ecclesiæ.

205. Pœnæ istæ sunt: Irregularitas, privatio beneficiorum et inhabilitas ad illa, depositio, et degradatio. Pro quibus:

206. *Nota I.* Irregularitatem quoad nomen esse recessum à regula: quoad rem verò in jure pontificio esse: impedimentum Canonicum, primò et per se impediens licitam susceptionem Ordinum et secundariò eorum usum: ità in re com. Dicitur:—1.º *Impedimentum*; quia irregularitas non est propriè pœna positiva aut privativa juris plenè quæsiti, sed potiùs est inhabilitas ob honorem status clericalis introducta, quia non decet aliquos defectuosos et criminosos ad ordines, vel eorum exercitium admitti.—2.º *Canonicum*; quia irregularitas solo jure Canonico, non verò naturali aut divino constituta est: hinc fœmina, incapax potiùs jure divino ad ordines, quàm irregularis dicitur, cùm irregularitas afficiat subjectum de se capax ordinationis.—3.º *Per se*, ut excludantur censuræ, quæ per accidens, et eatenùs impediunt ordinationem, quatenùs subjectum privant passivo usu sacramentorum.—

4.º *Licitam*, quia irregularitas valorem ordinis non vitiat, sed tantùm liceitatem seu honestatem.

*Nota II.* Irregularitatem dividi:—1.º In *totalem*, quæ tam receptionem ordinis, quàm exercitium ejus impedit: et *partialem*, quæ ali-quod tantùm exercitium vel receptionem Ordinis Superioris impedit.—2.º In *perpetuam*, quæ semper durat, nisi dispensetur; et *temporalem*, quæ ad certum tempus durat, eoque adveniente, cessat: ut defectus legitimæ ætatis.—3.º In eam, quæ oritur ex *defectu*; et eam, quæ oritur ex *delicto* impediens ministerium clericale. *Defectus*, quibus irregularitas annexa est, sunt: defectus usus rationis, ætatis, natalium, christianæ lenitatis, vitium corporis, curialitas aut obligatio ad ratiocinia et bigamia. *Delicta* irregularitatem causantia, sunt: iteratio baptismi, hæresis, occisio vel mutilatio injusta hominis, furtiva susceptio ordinum, ministratio in ordine non suscepto, violatio censuræ Canonice: ut si excommunicatus, suspensus ab Ordine, personaliter interdictus, vel in loco interdicto celebret (*cap. 18. de sent. excom. in 6.*)—De his omnibus jam suis titulis actum fuit. Hic:

207. Q. I. *Quis, et in quem irregularitatem ferre possit?*

R. 1.º Solus Papa statuere potest irregularitatem: ità com. Nam inducere impedimenta ordinum, sicut et matrimoniorum, est unum ex gravioribus negotiis Sedi Apostolicæ et juri communi reservatis. Unde generalis regula deducitur ex c. 18. *pr. de sent. excom. in 6.* nulla irregularitas incurritur, nisi id expressum sit in jure.

2.º Subjectum irregularitatis est mas baptizatus, et jurisdictioni Ecclesiæ subjectus. Unde:—I. Non baptizati non incurrunt irregularitatem, sed jure divino ante susceptum baptismum incapaces sunt ordinis, ceu sacramenti. Si tamen post baptismum retineant aliquem defectum, v. g. vitium corporis, bigamiam, servitutem, statim fiunt irregulares.—II. Papa, cùm juri suo non subsit quoad vim coactivam et pœnas, nulli irregularitati subjici potest.

3.º In dubio juris aut facti, an irregularitas incurratur, regulariter standum est pro libertate, quod non incurratur. Nam per *cit. c. 18. de sent. excom. in 6.*, irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis; sed nullo jure exprimitur, quòd quis in dubio juris aut facti censendus sit irregularis; ergò. Tum quia impedimentum certum et de se grave non est asserendum, nisi in casu certo delicti aut defectus: sed stante dubio juris aut facti non est casus certus delicti aut defectus; ergo: tum denique quia in dubio benignior interpretatio eligenda est, ex *reg. 30. in 6.* Unde:—I. Qui rationabiliter dubitat, an jus huic casui annectat irregularitatem (quod est dubium juris), judicare potest non subesse illam.—II. Qui dubitat, an legitimè natus sit, an mutilaverit, an excommunicationem incurrerit etc., quod est dubium facti, si adhibita sufficienti diligentia, veritatem deprehendere non potest, decidere poterit, se non esse irregularem.—Excipe dubium *facti* in materia homicidii, dum corpus delicti est certum, et dubitatur, an ictus, quem quis infixit, fuerit lethalis, an verò mors aliunde secuta

fuerit, v. g. ex imperitia chirurgi, inordinata vita vulnerati etc.: tunc enim percipiens gerere se debet pro irregulari ad effectum, ne sacrificium missæ celebrare possit, idque ob reverentiam hujus incruenti sacrificii, et agni mansuetissimi Christi Domini: ita com. ex c. 12. et 18. *de homicid.*, ubi non consilium, sed præceptum poni communiter factentur DD. At si dubium *facti* sit de ipso corpore delicti, putà an homicidium factum sit, an quis occisus fuerit? si post indagacionem veritas non pateat, stari potest pro libertate, quod non sit factum homicidium: et consequenter nec irregularitas contracta, quia id jure non est expressum, nec contentum sub *cit. c. 12.* et 18. *de homicid.*

4.º Ignorans, an alicui delicto annexa sit irregularitas, nihilominus committendo delictum, incurrit illam: ita teste Palao, com. sententia in praxi. *Prob. I.* Inhabilitas legalis incurritur ab ignorantibus, ut patet in impedimentis ordinum et matrimoniorum ortis ex defectu vel delicto, sicut est impedimentum metus, criminis, raptus, affinitatis ex copula fornicaria, cum jura nullibi requirant scientiam ad incursionem talium inhabilitatum et impedimentorum; sed irregularitas ex delicto est primò et per se inhabilitas, quia scilicet indecens est homines certis defectibus et delictis notatos ad statum clericalem et ordinum exercitium admitti; ergò irregularitas ex delicto incurritur ab ignorante.—II. Dato, quòd irregularitas ex delicto sit primariò pœna, tamen incurritur ab ignorante: tum quia ignorantia pœnæ vindicativæ nullo jure delinquentem excusat à tali pœna, alioquin clerici et laici delinquentes immunès essent ab omnibus pœnis, quas ignorabant delicto esse annexas, quod non esse verum praxi quotidiana probat; tum quia voluntariè consentiens in culpam, virtualiter et implicitè consentit in omnem pœnam vindicativam tali delicto in hoc loco debitam, etsi per accidens ignoret, qua lege prohibeatur, et qua pœna puniatur delictum, ut patet in pœna æterna, adulterii, læsæ majestatis etc.; siquidem volens causam, implicitè etiam vult effectum, etsi huc non prævideat; ergò talis pœna est delinquenti voluntaria, saltèm indirectè et in causa, quale voluntarium sufficit ad incursionem pœnæ: secùs vix ullus maleficus justè puniri posset; quis enim quotus est, qui calleat jura pœnas statuentia? Unde si laicus occidat vel mutilat hominem, dolo vel culpa gravi, etsi ignoret legem et pœnam irregularitatis, tamen sine dispensatione ad ordines non admittetur. Hic adde delictum, ex quo oritur irregularitas, debere esse *externum* sive publicum, sive occultum; *consummatum* et non merè attentatum: et *grave* seu lethale, ut communior docet contra Cajet., Armill. et alios; quia irregularitas, sive sit pœna primariò, sive inhabilitas, res tamen est gravissima; ac proinde non censetur oriri ex delicto, nisi hoc grave sit et lethale.

Opposita sententia, quam tenent Sanch., Suar., Schmalz. et alii, est satis probabilis, et servire potest pro foro conscientie in casibus arduis et desperatis ob hæc fundamenta:—1.º Irregularitas ex delicto est impedimentum pœnale; sed pœna saltèm extraordinaria ab igno-

rantibus non incurritur (*arg. c. fin. de constit. in 6.*); ergò.—2.º Pœna lata in contumaces et inobedientes non incurritur ab ignorantibus, ut patet in censuris, cum ignorantem legem et pœnam non sint contumaces; sed irregularitas lata est in contumaces et inobedientes legi Ecclesiasticæ; ergò.—3.º Ut incuratur pœna, debet delinquens consentire in culpam, ut inductivam talis pœnæ; sed ignorans irregularitatem non consentit in culpam, ut inductivam irregularitatis; ergò.—4.º Clerici incontinentes, quia ignorarunt legem et pœnam Siricii, non deponuntur; sed arbitrariè puniuntur (*Can. 2. d. 82.*); ergò à pari. Ex una sententia sequitur, quòd clericus vel laicus occidens, mutilans, abortum fœtus animati procurans, censuram violans, aut in ordine non suscepto ministrans, non fiat irregularis, si legem Ecclesiæ, et pœnam irregularitatis delicto tali annexam ignoravit.

R. *Ad I. Tr. M. et N. m.* ex dictis; c. fin. tit. procedit de censuris ab Episcopo latis, quæ, cum sint pœnæ medicinales, et ad frangendam contumaciam inventæ, ab ignorantibus non incuruntur: secùs est in pœnis vindicativis. Item si ignorantia juris excuset à peccato: ut si quis ignoraret legem Episcopi esse latam, etiam excusat à pœna, dummodò ignorantia sit probabilis: hic autem supponitur, quòd quis omninò sciat se delictum committere, et per accidens ignoret pœnam; tunc enim sicut expressè consentit in peccatum, ut causam, ita implicitè consentit in pœnam tali delicto in hoc loco debitam, ut effectum peccati.—*Ad II.* Pœnæ vindicativæ per se feruntur in delinquentes: medicinales verò in delinquentes cum contumacia, cum in toto jure non exprimat, scientiam pœnæ prærequiri ad ejus incursionem, nisi casus sit specialis.—*Ad III. N. M.* Implicitè enim consentit etiam in pœnam.—*Ad IV.* In illo loco non viguit pœna depositio-nis; ergò nec imponi debuit: secùs si præceptum Siricii ad eorum notitiam pervenit. Imò ex hoc Can. contrarium de irregularitate elicitur, quia clerici isti incontinentes prohibentur ascendere ad ordinem superiorem, quia scilicet non decet eos ordinari. Præterea hæc et similia argumenta spontè corruunt, si dicatur irregularitatem non esse pœnam, nisi secundariò et in consequentiam; primariò verò et per se, ob causam indecentiæ, esse inhabilitatem.

208. Q. II. *Qui sint præcipui effectus irregularitatis?*

R. Tres seqq.:—1.º *Inhabilitas ad Ordines* licitè suscipiendos vel exercendos; et quia prima tonsura est via et dispositio ad ordines, qui impeditur ordinibus suscipere, etiam prima tonsura initiari nequit. Jam, si irregularitas superveniat ordini suscepto, si quidem est ex delicto, ut homicidio aut mutilatione, impedit quodcumque exercitium Ordinis (*c. fin. de temporibus ord. c. 21. de accus.*); si verò est ex defectu, illud solum exercitium impedit, cui talis defectus adversatur: ut si sacerdos pollicem et indicem manus amittat, missam celebrare non poterit: benè verò alia ministeria ordinum exercere, ut confessiones audire, concionari etc.—2.º *Inhabilitas ad recipienda beneficia*, ita ut collatio beneficii irregulari facta probabiliùs ipso jure sit nulla (*c. fin. de*

*Cler. pugnans in duell.*, Trid. S. 14. c. 7. *de refor.*); nam inhabilis ad ordinem ejusque usum, etiam est inhabilis ad beneficium, quod ordinis usum requirit. Si tamen irregularitas sit partialis ex defectu ordinis superveniens, non impedit validam et licitam collationem beneficii; saltè si defectus non impediatur usum ordinis in beneficio requiriti (*arg. c. 2. de cler. ægrot.*)—3.º Irregularitas per se non privat beneficiis antea obtentis, donec delinquens per sententiam iudicis condemnatoriam, vel criminis declaratoriam iis privetur; c. 5. *Ne clerici* c. 6. 7. *de Cleric. excom. ministr.* c. 10. *de excessib. prælat.*, ubi ad talem privationem seu pœnam vindicativam, requiritur officium iudicis. Interim verò beneficiatus tenetur per alium administrare, donec dispensationem impetret: et si hanc non vult vel non potest obtinere, tenetur dimittere beneficium: quia sine causa illud possideret. In casu necessitatis, scandali, infamiæ et alterius gravis incommodi, quod sequeretur, si, v. g. parochus factus occultè irregularis, abstineret ab usu ordinum, non obstante irregularitate, potest exercere ordines, quatenus exercitium necessarium est ad mala ista præcavenda, donec celeriter sibi provideat de dispensatione; nam præceptum Ecclesiæ non obligat cum tam gravi incommodo. Si verò per Vicarium idoneum administratio fieri possit, nec timeantur mala ista secutura, parochus irregularis tenetur vices suas committere Vicario, cum nulla sit necessitas violandi præceptum Ecclesiæ.

Circa dispensationem in irregularitate servantur ea, quæ dixi tit. de homicid. et alia communia ceteris dispensationibus.

209. Q. III. *Quos effectus habeat pœna privationis officiorum et beneficiorum, et inhabilitas ad illa?*

R. 1.º Si privatio ipso jure est incurta, sequitur ex illa amissio tituli seu juris in re, amissio fructuum à die commissi criminis, impotentia ad resignandum beneficium in favorem tertii, et vacatio beneficii ex delicto, non per mortem, etsi interim beneficiatus moriatur (*c. 28. de præb. in 6. Extrav. 2. de Sim. int. com.*) At si privatio inducta est per sententiam condemnatoriam, effectus isti non incurruntur, nisi à tempore sententiæ latæ.—2.º Effectus inhabilitatis ad officia et beneficia præcipuus est, quod collatio inhabili facta, non teneat.

210. Q. IV. *Quid sit depositio, et quid juris circa illam?*

R. 1.º Depositio propriè dicta est: pœna solis clericis statuta, qua clericus perpetuò removetur, vel totaliter à beneficio, officio et ordine: vel partialiter à beneficio, vel officio, seu usu jurisdictionis, vel ordine seu usu ordinis: et vocatur depositio *simplex* seu verbalis, et contrà distinguitur depositioni solemnibus seu degradationi.—Differt depositio à privatione beneficii, quia illa et non ista inducit inhabilitatem ad alia beneficia; à suspensione totali, quia ista non tollit titulum beneficii et officii, bene verò depositio, licet suspensio totalis frequenter confundatur cum depositione.

2.º Depositio olim infligebatur etiam ob minora delicta (*c. 4. §. de adulter. de judic.*); hodie non nisi ob enormia crimina, et valdè scanda-

losa, uti est homicidium præmeditatum, furtum sacrilegum rei pretiosæ, fornicationes notoriæ post monitionem continuatæ etc. Sic depositus clericus retinet privilegium fori et canonis, nisi et isto per sententiam privetur (*c. 10. de judic.*): si verò ob adulterium et minora delicta depositus est, peracta pœnitentia, poterit cum eo jam emendato Episcopus dispensare (*cit. c. 4. de judic.*), quia misero misericordia non est deneganda: neque hoc modo restituitur ei fama directè, sed indirectè, quod potestatem Episcopi non excedit (*arg. l. 1. §. 10. de postulat.*)

211. Q. V. *Quid sit degradatio, et quid juris circa illam?*

R. 1.º Degradatio est, pœna Ecclesiastica, qua clericus solemniter et authenticè dejicitur ab ordine et statu clericali. Est duplex: *verbalis* seu sententialis, qua profertur sollemnis sententia privans clericum statu clericali; *realis*, seu actualis, qua clericus executivè in forma Ecclesiæ dejicitur à statu clericali. *Verbalis* degradatio differt à *depositione*; quia à sententia depositionis immediatè transiri nequit ad degradationem sine nova sententia degradationis; bene verò à degradatione verbali ad realem. Rursùm degradatio *verbalis* differt à *reali*; quia verbalis fieri potest per Episcopum tantum confirmatum, exercitè non tollit privilegium fori et canonis, et verbaliter degradatum Episcopus restituere potest: econtrà degradatio realis fieri debet ab Episcopo consecrato, cujus ordini est annexa ex præcepto Ecclesiæ, exercitè privat privilegio fori et canonis, et realiter degradatus à solo Papa restitui potest.

2.º Clericus ob nullum crimen, nisi jure expressum, degradari potest: ita com. ex c. 10 *de judic.*, ubi præscribitur ordo puniendi clericum; ut primò deponatur ab officio et beneficio; deinde crescente contumacia, excommunicetur, et anathematis mucrone feriatur: tandem, si in profundum malorum veniens contempserit, eum Ecclesia non habeat ultra, quid faciat, seculari potestati tradatur puniendus. Ita procedendum est in casu incorregibilitatis. Præter hunc incorregibilitatis casum, dantur in jure com. 4 casus, in quibus clericus, non expectata incorregibilitate, statim degradari potest:—I. Ob crimen *hæresis* præsertim cum reincidentia (*c. 9. de Hæret. et c. 4. eod. in 6.*)—II. Ob *conspirationem* in proprium Episcopum (*Can. 18. si quis sacerdotum* 11. qu. 1.)—III. Ob crimen *falsationis* Litterarum apostolicarum (*c. 7. de crimine fals.*)—IV. Ob crimen *assassinii* (*c. 1. de homicid. in 6.*) Extra corpus juris sunt tria crimina degradatione digna:—Sodomia frequentata, Const. S. Pii V. incip. *Horrendum illud scelus*;—Celebratio missæ, et sacramentalis auditio confessionum à non sacerdote exercita, Const. Clem. VIII, incip. *Et alias*. Et pro Italia observatur Const. Urban. VIII. incip. *In suprema* de clericis monetariis. Extra hos casus, si aliud enormissimum delictum à clerico perpetretur, recurri debet ad Sed. Apostolicam pro licentia degradationis.

Est etiam sollicitatio ad turpia in confessione sacramentali, si eam aggravent peculiare quædam circumstantiæ ex Const. Greg. XV.